

**SECUNDA DIES MAII
DE S. ANTONIO SEV ANTONINO,
ARCHIEPISCOPO FLORENTINO IN
HETRURIA, ORDINIS PRÆDICATORVM.
VITA**

**Auctore Francisco Castilionensi, Sancti domestico
per octennium. Ex autographo Florentino
Conventus S. Marci, MS. Corsendonckano, &
Leandro Alberti.**

FRANC. CASTILION DOMEST. EX MSS.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Franciscus Castilionensis Presbyter, Priori Fratribusque S. Dominici Conventus Bononiensis salutem. Cum vitam reverendissimi Patris Fratris Antonii Archiepiscopi Florentini nuper conscripsissem, [Cur potissimum inscribat hanc vitam Conventui Bononiensi.] quæ, propter gesta illius viri, præclara admodum, atque vitæ hominum, eo quod in se multarum virtutum exempla contineat, non parum utilis esse videtur: nullus mihi convenientior visus est, quam Tu Fratresque tui, cui hoc esset opusculum dirigendum. Nam cum locus vester sit inter alios Conventus istius Ordinis, tum vitæ atque observantiæ integritate, tum civitatis ac studii sacrarum litterarum nobilitate, non minus ob sanctorum Fratrum & eorumdem doctissimorum magnam copiam, maxime vero propter præsentiam sacri corporis S. Dominici Patris vestri, toto Ordine illustris ac nobilissimus; ad vos sane pertinere potissimum videtur tantarum virtutum laudem celebrare. Ipse etiam Antonius tantum decoris tantumque ornamenti addidit Ordini vestro, tantum Religioni vestræ,

quæ jam pene extincta erat, incrementi adjecit, tantum vel maxime Ordini vestro sua doctrina suoque exemplo profuit; ut numquam possit ejus memoria a quocumque vestrum satis pro dignitate celebrari. Habuistis enim in Ordine, ex quo conditus est, [per ipsum aliis conventibus communicandam] sanctissimorum virorum magnam copiam; habuistis Pontifices plurimos, etiam Romanos; habuistis doctores egregios, qui multa scripsere ad communem hominum utilitatem: sed singuli pene singulis virtutibus ornati. In hoc uno viro certe sanctitas immensa, Pontificatus excellentia, cœlibatus sive ut ita dixerim virginitatis gloria, doctrina singularis & nostris temporibus accommodata, peculiari quodam ac divino privilegio convenerunt. Nihil sane huic viro nisi martyrii palma, quam tamen ex tolerantia multorum laborum ac corporis passionum merito sibi vindicare potest, defuisse videtur. Sed quid ad hæc explicanda me extendo? cum jam ipsius vitam omnem audituri sumus: in qua non omnia quæ dici de eo poterant, neque ea qua decebat tantam rem narratione conscripsi: sed brevi, ne molestus fierem, eaque inepta, sat scio, oratione ejus gesta complexus sum. Unum te id, Pater optime, & Fratres tuos rogatos volo, ut hoc breve opusculum primum vos legere non pigeat; deinde aliis simul Fratribus vestris, qui per ceteras Italiæ civitates constituti sunt, cognoscendum; postremo vero in vestra bibliotheca conservandum custodiendumque recondatis, ut tanti viri exempla posteris quoque sint incitamenta virtutum. Si quid vero minus apte minusque pro dignitate rei scriptum est, in hoc veniam mihi dari postulo, qui numquam hactenus ad scribendum accessi; idque partim ex mearum rerum ac totius vitæ perturbatione, partim ex instituto fortasse non improbando faciendum putavi. Sin autem quodcumque in tantarum virtutum laudem cuipiam vestrum gratum jucundumque scripsi, id mihi, ad orationes suffragiaque Sanctorum Fratrumque impetranda, patrocinari postulo. Valet.

PROLOGUS.

Nonnullis rebus sæpenumero annexa est quædam, ut ita dixerim, vis officii atque honesta necessitas; ut ad certas res peragendas, [Causæ qua ad scribendam S. Antonii Vitam impulerunt auctorem,] non manu violenta compulsi, sed ipsa virtutis decorique necessitudine ita pertrahamur, ut a nobis omitti sine nefario scelere non possint. Hujusmodi est, si quis parentem ætate confectum ac pauperem suis opibus, cum id possit, enutrire contemnat: si quis item filiam jam nubilem, potius domi impudicam retinere, quam honesto viro nuptui tradere pertinaciter contendat: aliaque hujusmodi tam multa sunt, ut vix narratione longissima comprehendi possint. Hac ego decori honestique necessitate adductus, vitam sanctissimi viri Antonii Florentini Præsulis, qui hoc anno ex hac vita migravit, litteris memoriæque mandare constitui. Quamquam enim plures sint alii docti viri in nostra civitate, quibus & doctrina & ingenio facile cedam, qui rem hanc possent sententiis & amplitudine orationis illustrare; tamen quia apud virum ipsum fui, & domi ejus ultra octavum annum; gestaque ejus singula aut bonam partem propriis oculis vidi, auribusque hausi; [octo amplius annu ejus domesticum,] ad me potius hoc onus officii, quam ad quemvis alium, merito deferri ac pertinere sum arbitratus. Est enim res digna memoratu, tum aliis de causis, tum vel maxime ut qualem nostra ætas produxerit virum intelligamus. Incredibileque est, ut his nostris temporibus, quibus omnis bene vivendi ac religionis norma labefacta ac pene destituta est, tot tamque excellentes virtutes in uno homine convenire potuissent. In eo namque omnis pietas divini cultus, omnis sacrarum Scripturarum certissima doctrina, [S. Antonii compendiosa laus.] omnis denique sanctissimæ vitæ lucidissimum exemplar situm erat. Hinc omnes Religiosi viri, sive Monachi sive Presbyteri fuerint, sive etiam Episcopi, poterunt optimam vitæ suæ morumque

disciplinam ac pie vivendi certam regulam adipisci. Hic enim vir, non tantum postquam e vita migravit, verum etiam & antea dum viveret, ab omnibus Italiæ populis omnique Romana Curia (de Prælatiſ loquor ſummisque Pontificibus) Sanctus appellabatur. De hoc igitur viro ea quæ ipſe vidi & quæ aliis veriffimis testimoniis accepi, breviter atque concife dilucideque narrabo: aliis, qui majori dicendi vi majorique eloquentiæ artificio præſtant, exornationem tantarum laudum amplitudinemque relinquo.

ANNOTATA.

Annus hic computandus a morte, 2 Majii obita: nam num. 18 mentio fit Epifcopi Spoletani, ut ad Cardinalatum nuper eveci, quod ſolum factum eſt anno 1460, III Nonas Martii.

Capitula

Placet hic addere titulos, quibus autographum Florentinum diſtinguitur, ab aliis tranſcribentibus prætermiſſos.

I De his quæ geſſit in pueritia.

II De ingreſſu ejus in Ordinem Fratrum Prædicatorum, per manus Fr. Joannis Dominici in conventu S. Dominici de Feſulis, anno ætatis ſuæ ſexto decimo.

III De ſancta ejus converſatione in Ordine, & multis laboribus pro Ordine toleratis.

IV Qualiter Eugenius quartus beatum Fratrem Antonium fecit Archiepiſcopum Florentinum.

V Qualiter electionem de se factam ad Pontificatus gradum multis modis declinare conatus est.

VI Qualiter tandem S. Antonius, imperio Pontificis parens, electionem hujusmodi devotissime acceptavit.

VII Qualiter se gessit in officio Archiepiscopali, imprimisque de dispositione domus & familiæ suæ, & de suo & suorum victu.

VIII Qualiter se exhibuit in cura Pastoralis quoad Deum, ad se, & ad subditos, & de ejus mansuetudine ac pietate ad omnes.

IX Qualiter in nocte ibat ad Matutinum ad ecclesiam Cathedralē, ut suo exemplo negligentes Clericos excitaret.

X De fama sanctitatis ejus ubique ipso vivente diffusa: & qualiter morienti Eugenio Papæ IV Sacramenta ministravit: & quemadmodum Nicolaus Papa V eum in summa habuit veneratione.

Duobus aut tribus aliis titulis post hunc locus esse poterat, nolumus tamen aliquid de nostro ponere hic, ubi solum exhibemus id quod reperitur in MSS. codicibus quos sequimur.

XI De libris ejus.

XII De morte ejus.

XIII De muliere sanata ad tactum sacri corporis.

XIV De exequiis ejus, & integritate corporis sui per multos dies, & de Indulgentia concessa visitantibus sacrum corpus: & de mirabili concursu populorum per eos dies,

quibus inhumatum, sine ullo fœtore, perstitit sanctum corpus.

XV De quibusdam miraculis post ejus obitum subsequitis.

XVI Qualiter Leonardum Reatinum & filium ejus unicum, quorum salus desperabatur humanitus, S. Antonius plenæ sanitati restituit & salutem.

XVII De muliere a periculo partus liberata, cum prolis perfectione.

XVIII De Cardinali S. Sixti, in sua senectute & ægitudine meritis S. Antonii mirabiliter sublevato.

XIX De patre Luisi, domestici S. Antonii, ab infirmitate simul & amentia liberato.

XX De Nicolao de Sacchettis, cive Florentino, pene mortuo, meritis S. Antonii liberato.

XXI De quibusdam miraculis per eum adhuc viventem patratis. Et de ferro congelato in fornace ardenti, quod ad benedictionem sancti viri igne resolvi ac fluere cœpit & fundi.

XXII De Sacerdote ægrotante, orationibus S. Antonii liberato, apud Mugellum.

XXIII De muliere multis annis sterili, cui prolis fœcunditatem sua benedictione S. Antonius mirabiliter impetravit.

XXIV Conclusio operis dulcisque lamentatio de transitu Antonii, ejusque digna laus.

CAPUT I.

Acta Vitæ usque ad Archiepiscopatum susceptum.

[1] Antonius, Florentina urbe oriundus, honestissimis parentibus, patre Nicolao, matre Thomasia natus est. Is multa solertia, [Nascitur Florentiæ honestis parentibus:] plus memoria valuit; ingenio gravis, mitisque admodum ac taciturnus, statura corporis non magnus, ossibus ac nervis magis quam carne suffultus. In ipsa pueritia religionis studiosus, ecclesiam & auditionem divini verbi frequentabat: cœpitque jam tum orationi assidue, contemplationique vacare: [puer studio precandi tenetur,] Ferturque adhuc puer ad figuram Crucifixi, quæ in ecclesia S. Michaelis in horto, sic enim appellatur, sita est, longo tempore singulis diebus accedere consuevisse, ibique supplex ac genibus flexis diutius orare; adeo ut plurimi id cernentes admirarentur tantam esse in puero tolerantiam in orando, & in perseverando constantiam. Cum vero letaniæ ac processiones publicæ fierent, Fratres Prædicatores, quibus jam tum afficiebatur, multa cum gravitate ac modestia sequebatur. Numquam in ludo litterario, [moribus supra pueriles præditus:] in quo supra coætaneos suos mirum in modum proficiebat, quidquam puerile a sociis, qui adhuc superstites sunt, in nostra civitate fecisse memoratur: erat enim jam tum in ejus moribus, sermoneque ac gestu corporis, præmatura senectus gravitasque immensa.

CAP. II

[2] Cum autem ad pubertatis annos pervenisset, animum ad religiosam vitam capessendam convertit; motus, ut sæpius nobis narrabat, [concionibus motus Fr. Ioannis Dominici,] prædicationibus præstantissimi viri Fratris Joannis Dominici, qui ex Ordine Prædicatorum postea, ejus virtutibus ita postulantibus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis effectus est: cujus viri singulares

virtutes atque doctrinam, in primisque solertiam & acumen ingenii summis in cælum laudibus extollebat Antonius. Erat enim in eo magna divinarum Scripturarum cognitio, in interpretando solertia, in proloquendo facundia, in rebus agendis experientia, & in consulendo prudentia singularis. Ad hunc cum suscipiendi habitus causa accessisset Antonius (ille enim tunc Fesulis ecclesiam S. Dominici ac eum Conventum, qui nunc extat, a fundamentis condebat) visus est homini prudentissimo puer, acutus quidem ingenio ac bonæ indolis, sed ætate tenellus: [ab eodem admitti in Ordinem S. Dominici petit:] jubet illum adhuc aliquot annis exspectare, donec ad perferendam religionis austeritatem sufficiat.

[3] Et quoniam interrogatus ab eo, cuinam scientiæ aut facultati operam daret, respondit, se Decreti lectione plurimum delectari: Vade, inquit, [a quo rejectus quoad volumen Iuris Canonici memoriæ mandasset,] cum, totum Decretum memoriæ mandaveris, tunc in ordine admitteris. Non ausim affirmare quid loquar (nam ipse Antonius numquam de se talia nobis narrasset) sed in signum singularis memoriæ, vulgo hæc de illo fama ferebatur. Dicitur enim adolescens tunc ab homine discessisse, transactoque anno ad eundem, ita Decreto familiari effecto, rediisse, ut, [anno ætatis 16 habitu donatur:] in quacumque ejus libri parte illum interrogasset, mirum in modum homini satisfaceret. Tum vero non jam repulsus, sed avidissime susceptus, sextodecimo ætatis suæ anno, assumpto S. Dominici ac Prædicatorum habitu, novum induit hominem qui secundum Deum creatus est. Narravit nobis postea sanctus Præsul, mihi scilicet Marcoque Presbytero (cui summa dilectione, eo quod bonus ac fidelis magnoque sibi usui esset, afficiebatur; in cujus etiam morte, Defecit, inquit, baculus senectutis meæ) se, antequam ad Religionem accederet, voluisse de virtute sua periculum facere: cumque ab esu carniū abstineret, ut id parentes

lateret, fingeat se sumptas de mense carnes consumere, quas postea clam sub discum projiciebat.

CAP. III

[4] In ea vero Religione, quam mitis in Fratres carusque omnibus, quam dicto majorum obediens, quam orationi lectionique assiduus, quam denique earum observationum, quas Constitutiones appellant, observantissimus fuerit, non longa etiam narratione explicari posse confidam. [variis virtutibus præluce:] Multa resecanda censeo, ne orationis longitudine legentibus molestiam afferam. Cognita igitur hominis virtute, statim a Patribus Ordinis ad gubernationem aliorum Fratrum assumptus est, multisque in locis Italiæ Prior effectus, Romæ, Neapoli, Cajetæ, Cortonæ, Senis, Florentiæ, Fesulis; postremo etiam generalis hujus Tusciæ Provinciæ Vicarius ac Neapolitanæ factus est. In quo munere multos Italiæ Conventus ad veræ religionis atque observantiæ regulam reformavit, [varias in Ordine præfecturas obit] multosque annos magna cum diligentia ac severitate Provinciam gubernavit. Circumeundo civitates, pedes sæpenumero incedens; postremo vero, ætate atque corporis infirmitate confectus, asellum, imitatus personam Salvatoris, pro jumento habebat: ubi vero asellus aut itineris longitudine aut viarum hiemisve asperitate non sufficeret, majori robustiorique jumento utebatur. Tot vero tamque graves morbos in eo Ordine perpressus est, ut sæpius ad mortis periculum accessisse videretur. Herniam quoque ingentem magna cum molestia pertulit quamplures annos: quæ & postremo maximam morti ejus occasionem præbuit. Narrabat ipse Pater nonnumquam, quam multas variasque ægritudines perpressus esset, quot febrium genera, quartanamque imprimis longissimam: [varios morbos patienter tolerat:] in phthisim etiam flecti ab omnibus in ipsa juventute putabatur. Sed ex his omnibus, ajebat, liberavit me

Dominus: quippe qui ad majora servabatur. Transeo quam fuerit caritatis amator, & fraternæ salutis zelator ardentissimus, recensere; non solum suorum Fratrum, verum etiam reliquorum omnium. Omitto dicere, quanto usui hominum ejus admonitiones, confessiones, [zelum exercet animarum.] prædicationesque fuerint: ad præclarum enim ejus facinus, qualem se scilicet in sua ad Pontificatum assumptione ostenderit, festinat oratio.

CAP. IV, CAP. V

[5] Cum enim vacante Florentina Ecclesia, post mortem Bartholomæi de Zabarellis Archiepiscopi, Eugenius Quartus in demortui locum eum suffecturus esset; quamplures, partim de nostris civibus, partim de eis qui erant apud Eugenium, qui omnes maximis opibus maximisque favoribus gloriabantur, [Pluribus Archiepiscopatum Florentinum ambientibus,] ad eam dignitatem consequendam maxima ambitione ferebantur: diuque vexatus Romanus Pontifex, pulsatusque undique precibus ac multarum pecuniarum pollicitatione (ut fertur) in ambiguo fuit, ad quemnam tale munus merito deferri posse videretur. Postulabant Florentini virum gravem, scientia virtutibusque ornatum, inprimisque civem suum: sed ad quem iretur, non facile reperiebatur. Ita novem mensibus ambiguus suspensusque animo Romanus Pontifex perseverat: cui tandem subjicientibus viris religiosis personam Antonii, [designatus a Pontifice,] cum jam antea virtutem hominis cognovisset, statim eorum consiliis acquievit: & non multo post in Consistorio publico Fratrem Antonium, admirantibus cunctis ac stupefactis in exaltatione incogniti viri, Archiepiscopum Florentinum pronuntiavit: ut in illo id verissime Prophetæ dictum conveniret: Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. [Eccli. 44, 20] Erat tum forte Antonius in peregrinatione, & Neapolim visitandorum cœnobiorum gratia pergebat. Cumque in ipso itinere ad

eum hæc esset fama perlata, cœpit vir sanctus statim de fuga cogitare, & a consueta via divertere proposuit. [declinandi causa fugam molitur:] Ad mare Thuscum igitur iter dirigens, in Sardiniam properabat, quo ibi, ut postea intelleximus, incognitus latere posset. Hæc enim postea accepi a Nepote ejus Petro, qui hominem studiose quærigans, talia molientem invenerat.

[6] Cumque Nepoti id nuntianti, conantique eum ad patriam revocare, ille se talem dignitatem unquam subiturum negaret, velletque a se Nepotem dimittere; ille vero nusquam ab eo se discessurum assereret; necessitate coactus, Senas a Nepote suoque comite Converso Ordinis deductus, [a qua reductus recusat,] cœpit, quod fuga non poterat, voluntate firmoque proposito, huic de se factæ electioni contraire. Asserebat se tanto oneri minus aptum minusque idoneum esse: sed statim ad eum Apostolicæ litteræ perferuntur: significatur ei voluntas Pontificis; mandaturque, ut quamprimum Fesulas ad Conventum S. Dominici se conferat: is enim locus non longe a mœnibus Florentie, urbis situs est. [deprecatur hujusmodi onus:] Cumque illuc vir Sanctus, Apostolico dicto parens, devenisset, cœpit pro hac evitanda dignitate sollicitus esse. Cives, qui ad eum frequentes, visitandi Pastoris sui congratulandique gratia veniebant, ut se tali onere liberum esse paterentur, orabat. Scribebat Eugenio litteras; aliasque itidem civium, imprimisque Cosmi Medicis (qui tum in nostra civitate auctoritate atque opibus ceteros anteibat) ad eundem summum Pontificem, de hoc suo firmo obnixoque proposito, conscribi litteras summis precibus impetravit. Sic omni qua poterat arte hujusmodi aufugere dignitatem nitebatur.

CAP. VI

[7] At Romanus Pontifex, cum sciret se optimam de eo electionem fecisse; cumque nullis persuasoriis litteris, quas plures ad Antonium dederat, videret hominem a suo proposito flecti posse; tandem per litteras nonnullorum Prælatorum, [sed parere jussus,] in primisque gravissimi maximæque auctoritatis viri, Dominici Cardinalis Firmani, hanc suam omnino voluntatem irrevocabilemque sententiam esse declarari fecit. Missisque ad eum omnibus super Pontificatu capiendo litteris Apostolicis, quidquid sibi pro illis offerri exsolvi que consuevit, non modicam profecto pecuniam, libere condonavit. Tum demum Antonius, nullum jam cernens sibi subterfugium relictum, cum hanc summi Pontificis videret obnixam firmamque sententiam, hoc omnium suorum civium desiderium; [mandato Pontifici cum Clero communicato,] veritus ne voluntati Dei contraireret, quæ in his signis tam manifestis apparere videbatur; decrevit ad se nonnullos venerabiles Sacerdotes, Abbatesque ac Prælatos fere omnes civitatis convocare, inter quos etiam nonnulli gravissimi civium adfuerunt. Qui cum ad eum Fesulas in unum convenissent, declarata primum summi Pontificis voluntate, cum singuli super ea re ab eo sententiam dicere requisiti, ad id oneris suscipiendum hortarentur; tum demum omnes, ut simul cum eo preces Deo orationemque facerent, [& fuis prece ac lacrymis dignitatem capescit,] exoravit. Qua peracta, Deum hominesque testatus id contra voluntatem suam fieri, prostratus in terram totus, impositum a Sede Apostolica onus suscepit. Videres tum lacrymas in maxillis omnium singultusque frequentes ac gemitus; cum præ dulcedine tanti facinoris virtutisque suavitate omnes commoti essent. In hoc imitatus est vir sanctissimus antiquos nostræ fidei Patres. [imitatus exemplum Sanctorum Episcoporum,] Nonne Ambrosium, Nicolaum, Martinum, aliosque majores nostros, in quibus erat sanctitas immensa, hoc itidem fecisse memoriæ proditum est? A quibus hic noster Pontifex, cum in ceteris mihi non impar

illis fuisse videatur, vitæ scilicet sanctimonia, doctrina & exemplis, in hujus etiam dignitatis contemptu, quam illorum virtuti haud dispar fuerit facile demonstravit.

[8] [solenni cum pompa sed pedes Florentiam ingreditur.] Ingressum vero civitatis, non in equo (ut mos esse ferebatur) sed pedes, non prætermissa tamen solenni processione reliquoque apparatu, qui ad religionem pertinebat, faciendum instituit. Cumque primo diluculo Missam celebrasset extra civitatem in ecclesia S. Galli, tum magna cum solennitate atque omnium exspectatione civitatem ingressus, primum ecclesiam S. Petri majoris, mox inde nudis pedibus, ecclesiam Cathedralem ut mos est accessit. Postremo observatis consuetis cæremoniis satis fatigatus, antequam cibum sumeret, se domum recipere: ibi plures Prælati, cum nonnullis civibus qui Archiepiscopatus custodes appellantur, pro dignitate accepti.

ANNOTATA.

Vita 2 Ingenuis, nobilibus & orthodoxis parentibus, unicus legitimus natus. Vita 3 addit, anno salutis MCCCLXXXIX, Urbano VI Pontifice, Uenceslao Caesare.

Eadem Vita 3, Nicolaus pater, vir probatis moribus, tabellionatus collegio (quod in urbe Florentina non contemnendo loco habetur) quater præfuit.

Eadem Ioannes Dominici laudes brevi hoc encomio carptim perstringit: Is ille est, qui primus collapsas vitæ regularis observationes (quæ absumptis Patribus, in vasto illo infandæ luis incendio ac pestilentissima contagione, quæ sub annum MCCCXLVIII contigit, prorsus conciderant) in aliquam spem ac lucem dicendo & agendo revocavit; tanti a Gregorio XII habitus, ut Ragusinam illi primum Ecclesiam crediderit, inde etiam in

Cardinalium numerum cooptaverit. Mox apud Constantiam, ubi de tollendo schismate, quod tres Pontifices ducere videbantur, totius Ecclesiæ & Christianorum Principum consensu agebatur, egregiam laudem reportavit, dum summopere contendit, ut Gregorius (cujus ille partes tuebatur) Pontificatui cederet: tandem a Martino V (qui, depositis vel cedentibus ceteris, summa orbis consensione Pontifex in ea Synodo declaratus fuerat) ad convellendam Boemorum hæresim, quæ tunc serpere incipiebat, legatus in Pannoniam missus, Budæ diem suam obiit anno MCCCCXVIII, uti scribit S. Antoninus, vel potius anno MCCCCXX, ut habetur in Vita, quam prologo & exordio mutilam edidit Leander Alberti lib. 3, integre ex MS Conventus Florentini S. Mariæ Novellæ descriptam nobis dedit Franciscus Redi, Medicus & Patricius Aretinus, auctore Ioanne Carolo Florentino Ord. Prædicatorum ad Franciscum Berlingherium fratrem, ubi etiam dicitur in suburbano eremitarum S. Pauli templo, insigni sepulcro traditus. Ferunt autem, inquit idem auctor, in eo templo ad ejus venerabile corpus prodigia fieri multa, plurimasque ibi imagines adstare, prodigiorum testimonia referentes, quæ meritis hujus viri fideles sunt consecuti. Dedi igitur operam ut etiam ex Hungaria discerem, num alicunde venire possem in notitiam certæ diei, ad quam Vita ea referretur; aut firmiter aliquod publici cultus testimonium, quam quod hic ex mera fama profertur: sed hactenus nihil comperi quod suaderet huic operi inserendam Vitam, cujus interim hanc notitiam volui hic lectori proponere: eumque porro remittere ad Leandrum præcitatum vel ad Sigismundum Ferrarium, de rebus Hungaricæ Provinciæ sui Ordinis parte 2 lib. I cap. 26 & seqq. eadem prolixè describentem.

CAPUT II.

Eximiæ virtutes S. Antonii in administratione Archiepiscopali.

CAP. VII

Hic jam majori ingenio majorique quam in me sit facundia opus esset, ad id scilicet explicandum, quanta cum sapientia, quo studio, qua vigilantia, qua justitia, [Omnem a re familiari luxum proscribit,] qua mansuetudine, qua denique omnium hominum admiratione tredecim annis Pontificatum gesserit. Primum omnium domi familiam modestissimam habere voluit, eamque non magnam, sed quæ vix officiis necessariis satisfaceret. Omnemque pompam omnemque luxum a victu vestituque suo & suorum eliminans, nullam habuit suppellectilem, nullum apparatus, non aurea vasa, non argentea, non canes, non equos ut plerique Prælatorum faciunt; unum tantum parvulum mulum, qui etiam ei dono datus fuerat, domi pro extrema necessitate retinebat. Aiebat non decere Prælatum bona pauperum in nutriendas bestias aut in quemvis alium superfluum luxum consumere. Duobus primo Vicariis, qui jus dicerent; deinde, cum duo controversiam sibi invicem afferre viderentur, uno tantum utebatur; eligebatque virum, quem probum peritumque potissimum arbitrabatur, cui pro labore annuo centum aureos mercedis nomine de suis bonis dari jubebat, [ministros interim suos liberaliter ac per honeste tractans.] Procuratori triginta, aliisque domesticis ministris, de quo convenerat præmio, satisfieri integerrime, curabat. Nemo fuit apud illum, qui non sibi satis superque factum esse coram omnibus profiteretur. Procuratori soli omnium colligendorum fructuum proventuumque ac totius rei familiaris administrationem relinquebat, reliquam Pastoralis curæ sollicitudinem sibi reservabat. Universam æque familiam, quam sæpe numero in timore Dei vivere hortabatur, optimo victu, secluso tamen semper luxu superfluo, pasci jubebat.

CAP. VIII

[10] Ipse cibus communibus vescebatur, in hisque minime curiosus: [victum suum ad leges paupertatis accommodat:] semper enim quod quaque die comesturus esset penitus ignorabat; quid ei apparabatur apponebaturque, sumebat. Omni sexta feria quadragesimalibus cibus pro se omnique familia uti, jejuniumque servari mandabat. Jejunium quoque Adventus Domini singulis annis, velut in Religione faciebat, servare consueverat. Quo etiam tempore nonnunquam ovis, ingravescente ætate, pro corporis imbecillitate utebatur. Jejunia vero Ecclesiæ nulla penitus, nisi morbi gravissimi causa reliquisset. Lectioni divinæ, quam in mensa semper habebat, [ad mensam sacra lectione se pascit:] ita erat intentus, ut nullum posset lector verbum minus recte proferre, quod non statim ejus correctione emendaretur. Diceres hominem, non ad cibum, sed ad lectionem accessisse. Cæna ejus aut nulla brevissima erat. Surgebat noctu semper, adeoque solícite, aut signum matutini officii Cathedralis ecclesiæ præveniret. [Clerum ad matutinum officium prævertit:] Cumque divinum officium cum suis Clericis, magna cum attentione & mentis elevatione, persolvisset; reliquum quod erat temporis, usque ad horam diei tertiam, lectioni sacræ aut componendis libris, de quibus paulo post verba faciam, tribuebat. Hora tertia Missam celebrabat, quam numquam nisi magna urgente necessitate reliquisset. Celebrata Missa, quod reliquum erat diei totum in curæ Pastoralis solícitudine, in audiendisque his qui multi diversis de causis ad eum ibant, usque ad seram noctem, præter id temporis, quod necessitati corporis condonabat, consummabat.

[11] Neminem inauditum, nec vilissimum quemque, a se dimittebat. Satisfaciebat omnibus quantum in se erat, quippe qui audiendo patientissimus ac respondendo mitissimus esset. Tanta enim ejus ingenio insita erat humanitas, ut neminem etiam domesticum ministrum

unquam quavis de causa in quovis errato acerbè reprehenderet, [Omnium causas benigne audit] ut ne paululum quidem irasci aut excandescere posse videretur. Dixerat olim, cum esset in ordine, cuidam ex Fratribus suis admodum carissimo, [omnibus placidum se præbens.] si Superior quempiam in aliquo errato asperius castigasset, non id ex animi perturbatione, sed ex violentia quam sibi inferebat, effecisse. Nullis denique vexabatur injuriis; nullis contumeliis, nullis jacturis movebatur: omnibus humanus, affabilis omnibus, ut de illo id verissime dici posset, quod de Moyse in libro Numerorum scriptum est: Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. [Num. 2, 3.] Confluebant ad eum omnes causæ civitatis, nedum Clericorum sed & laicorum plurimæ: qui de communi consensu eas in illum, tamquam in optimum ac justissimum cognitorem, rejiciebant. Singulis vero diebus religiosi viri quamplurimis domus ejus referta erat, [cognominatur a præstantia in suggerendis consiliis:] qui partim eleemosynas (omnia enim bona sua in pauperes distribuebat) partim de rebus dubiis certissima verissimaque ab eo judicia reportabant. Tanta enim erat in eo sacrarum litterarum cognitio, tanta consuetudo, tanta denique in consulendo experientia, ut non solum cives, verum & advenæ plurimi, Principes ac Prælati, de rebus gravissimis ejus sententiam plurimi facerent. Ob quam rem etiam antea Frater Antoninus consiliorum appellari ceperat: sic enim ut plurimum diminutive, antequam Pontifex fieret, vocari consueverat.

[12] Quod si quis libros ejus, quos de omni doctrina sacra magnis voluminibus conscripsit, [libros conscribit:] perlegerit; dicet tantam in eo homine fuisse sapientiam, ut merito totius Italiæ, quin potius, juxta Evangelicum dictum, tamquam sal & condimentum quoddam totius terræ dici posse videretur. [Matt. 5, 13.] Siquando vero ex illo negotiorum tumultu dabatur aliqua vel parva requies;

[vacuum negotiis tempus precationi impendit:] statim ad studium divinamque lectionem vel orationem revertebatur. Multa enim alia præter Officium usitatum dicere consueverat: nam Psalmos pœnitentiæ dicatos cum letaniis, Officiumque Beatæ Virginis, quamvis in festo duplici, nullo die dicere prætermisisset. [insignis cultor Divæ Virginis,] Bis saltem in hebdomada Officium mortuorum cum novem lectionibus, & in festis solennibus integrum Psalterium e dicere usitaverat. Quodque multa admiratione dignum est, nihil umquam legendo, sed omnes Psalmos memoriter recitabat. Hoc enim ii qui cum eo psalmodiam dicebant, [& castigator sui corporis:] experimento didicerunt. Asseruit etiam mihi unus ex suis veteribus familiaribus, se potuisse animadvertere, illum se nonnumquam flagris verberare consuevisse: & hoc ex quo ad Archiepiscopatus dignitatem assumptus est.

[13] Illud sane in eo magnæ gravitatis magnæque prudentiæ signum erat, quod nulla erat tam magna negotiorum perturbatio, quæ ei ad divinarum rerum speculationem tædium remoraretur; adeo nulla molestia perturbatus, summa pace ac quiete interna animus fruebatur. Dederat mihi sanctissimus Pater egregiam quamdam monitionem, [imperturbatum in omnibus negotiis animum servat:] litterisque aureis sententiam conscribendam: cum enim molestiam Pastorales curæ ac tantam diversorum negotiorum perturbationem solus apud illum detestarer: Non est, inquit, possibile plerisque mortalium ac fere omnibus, ob eam quæ ex rebus hujus seculi consurgit solitudinem, aliqua pace ac quiete sedati animi perfrui; nisi ipse sibi aliquem secretum occultumque mentis secessum reservaverit, ad quem nec negotiorum molestia, nec curarum sollicitudo, nec omnium rerum agendarum quæ fores sunt, perturbatio penetret; quo, cum negotiorum exercitatio cessaverit, statim omni passione nudatus animus, tamquam ad arcem quamdam, & ad hominem, quem Paulus interiorem appellat,

confugiat: ad quod consequendum magna aiebat arte opus esse. Cumque ipse hac sedati animi pace ac quiete frueretur, nullum tamen Pastoralis dignitatis officium omittebat, [sedulo Archiepiscopale munus obit:] nullam sacrorum locorum ac sanctimonialium mulierum visitationem, nulla Missarum solennia, nullas altarium consecrationes aut calicum seu sacrarum vestium benedictiones prætermittebat: quibus in rebus omnes consuetas cæremonias diligenter accuratissimeque observabat.

[14] In Ordinationibus vero sacrorum Ordinum, itidemque in ecclesiarum collationibus seu confirmationibus, nihil muneris penitus accipi, [ab acceptandis muneribus abhorret:] aut a se aut a suorum quoquam, patiebatur. Aiebat id genus commercii haud quaquam ab eo avaritiæ crimine, quæ simonia nuncupatur, alienum esse. Sic etiam reliquis in rebus ab omni munere immaculatas innoxiasque manus conservabat. Non amicitia, non odio, neque prece, neque precario (ut Poëtico utar verbo) a recti iudicii quam novisset semita divertebat. Erat tamen cum illa severitate summa bonitas misericordiaeque conjuncta; eaque in delictis Sacerdotum potissimum utebatur; idque agebat ut nec impunitum crimen relinqueret, nec etiam ad vivum putridum vulnus penitus resecaret. Tantumque sua industria, [Clerum reformat:] suaque solitudine factum est, ut Clerum, quem satis inhonestum satisque deperditum omni genere flagitiorum acceperat, satis modestum satisque emendatum relinqueret. A multis quoque erratis cives suos, maximeque a commerciis usurariis revocans, [usuras tollit:] multos ad rectam vivendi normam perduxit. Cœperat primo, in ipsis primordiis sui Pontificatus, singulis Dominicis diebus ad singulas civitatis ecclesias accedere, ibique populo qui affuisset salutis monita ac divinum proferre sermonem consueverat. At postea cernens id jam vilescere, cum simul huc alii plures

egregiique divini verbi oratores accederent, decrevit in allium rectius operandi usum id tempus consumere.

CAP. IX

[15] Sic vir sanctus omnia sui muneris officia magna cum diligentia majorique caritate prosequabatur: nullum vitans laborem, [arduos & molestos labores pro grege suo subit.] nullum periculum, non frigora, non æstus, non pluvias observabat: omnes etiam robustissimos juvenes in tolerandis laboribus antea videbatur. Accepi ego, ab uno ex ejus domesticis ministris, illum, cum per agros ad Ecclesiarum visitationes accederet; cum sub ardenti sæpius sole ad opus inceptum exire consuesceret; nonnunquam compressos remoratosque gemitus, dum equum ascenderet, edere consuevisse: quos, ex latenti, ut, ille existimabat, mala valetudine vehementique corporis dolore inflictos, comprimere ac dissimulare non poterat. Cumque ille vellet sanctum virum in ipso itinere remorari, & ad modicam vel parvi momenti requiem hortaretur, Perge modo, aiebat, nostrum iter prosequamur. Illud sane intactum non præteream, quod egomet in eo viro singularis patientiæ signum conspexi.

[16] Cum enim tribus fere annis ante obitum ejus relatum fuisset ei, Clericos in majori ecclesia minus attente minusque religiose Officia matutina celebrare; cœpit ipse singulis noctibus ad ecclesiam Cathedralē, [præsentia sua clerum ad decentem celebrationē matutini Officii excitat:] imponendæ modestiæ causa, accedere. Cumque quadam nocte magna vis ventorum ac pluviae, ex hiemis asperitate, omnia perturbaret; accessimus duo Presbyteri, ego & Marcus, de quo prius verba feci, ad antiquum Patrem, ut illum ab incepto itinere illa tantum nocte retraheremus. Cumque in sententia permaneret, cœpi ego audacius adversari, asserens senectuti ejus illud incommodum algoris ac pluviae (non enim est unita

Cathedrali ecclesiæ domus Episcopalis) maximum detrimentum affere posse. [senex nulla ab hoc tempestate retardari se passus.] Cumque itidem renitenter dicerem; Nonne heri ac nudiustertius hoc egisti, Pater? hanc tantum cœpto operi noctem interpone, quo te a tanti rigoris ventorumque flantium tempestate conserves. Tum ille testimonium Apostoli, tamquam pro contrario sumens argumento: In fame, inquiebat, & siti, in frigore & nuditate. Cumque me, tamquam imbecilliozem, ad remanendum hortatus esset; ipse, ad susceptum jam munus prosequendum, properavit.

ANNOTATA.

In 2 Exam. Testis 5 D. Petrus qu. Paganelli Francisci de Talanis, ann. LXXXIV, dicit de mira mansuetudine Episcopi, ex certo experimento in se facto, cum litigaret cum eodem Archiepiscopo, super collatione ecclesiæ S. Mariæ de Accone, ipsi testi collatæ a Patronis; in qua numquam potuit videre ipsum vel in modico turbatum, quamvis ipse esset subditus ejus, & cum superiore ausus litigare.

In 2, Joannes olim Jacobi Fei de Ridolfo, civis Florentinus Testis 27 ann. LXXV, addit quod in reformatione cujusdam monasterii omnes moniales ad observantiam & vitam communem redegit, quæ prius separatim & proprietarie vivebant.

Fortitudinis in corrigendo Clero exemplum hoc habe. In 3 Exam. Nobilis Robertus Laurentii Francisci de Michis, Testis 34, ann. XC, dicit quod juvenem Presbyterum nobilem propria manu totonderit in ecclesia usque ad dimidium, imponens ei ut reliquum usque ad eam mensuram compleret, nec ausus fuerit præ sanctitate ipsius contraire. Fuisse cum tali ex causa mortis incurreret periculum in Vita 3 sic narratur. Sacerdos Ciardus, vir

fama & moribus perditissimus, cum ad tribunal Præsulis citaretur, falcato gladio se accinxit: mox in Episcopium profectus, exerto ferro Antonini caput, qui solus tunc in sella quiescebat, petiit, ut discissum bifariam ad usque dentes aperiret: sed flexu capitis, dum ictum vitat, fellæ tergo gladius inhæsit. Ciardus, furore ebrius, ob id impressum capiti vulnus putans, ex Episcopio in proximam se domum proripuit, ex muliercula latibulum ad præsentem casum rogans, necubi occiso Præsule caperetur. Femina, ad sceleratum facinus inardescens furore muliebri, accepto subsellio perfregit caput Sacerdotis & expulit; qui statim fuga versus Fesulas arrepta, seu metu actus & post culpam resipiscens, ad Ducciam in divi Michaelis cænobiolo, accepto habitu Minorum, vixit innocentius. Antonius tantum abest ut in Ciardum quoquomodo desævierit, ut etiam maxime exhilaratus sit, occasionem illi præstitam ad ineundam vitæ melioris formam.

Vita 3, Omnia sui Episcopatus templa, non per Vicarios, sed ipse visitavit, quibus Fesulanam quoque ac Pistoriensem diœcesim adjecit quibus ut Metropolitanus præsidebat. Vita 2 addit, Ad quod etiam munus cum paucissimis equis accedebat, contentari faciens suos modicis expensis & simplici victu. In visitationibus & judiciis primam admissionem criminum mitissime corripiebat, secundam durius; tertiam & deinceps durissimus ac pene inexorabilis vindicabat, nullaque spe aut timore a correptione poterat amoveri. Quæ tamen omnia, cum summa justitia judicaret, tanta cum caritate temperabat, ut non rigorem sed caritatem exercere videretur, unde voluntarios ad correctionem plurimos inducebat.

CAPUT III.

Acta S. Antonii in Episcopatu & legationes.

CAP. X

[17] His tantis tamque egregiis virtutibus effectum est, ut magnum sibi sapientiæ nomen, magnamque sanctitatis auctoritatem, [Opinionem Sanctitatis apud omnes obtinet,] non solum apud cives suos, verum etiam apud omnes Italiæ populos, apud nobilissimos Principes ac Romanæ Ecclesiæ Prælatos compararet. Summa erat populi erga eum reverentia, summa pietas, magna de ejus sanctitate opinio. Quacumque illum transeuntem intelligebant, accurrebant omnes, simulque genibus flexis pronique in terra, majores pariter & nobilissimi civium atque optimates pro benedictione ab eo suscipienda flectebantur. A summis vero Pontificibus non solum amabatur, verum summa reverentia summaque veneratione dignus esse ducebatur. [auctoritatem apud summos Pontifices:] Eugenius quartus, qui cognita hominis virtute illum ad eum dignitatis gradum vocaverat, paulo post ut eo copiosius frui posset, Florentia illum ad se Romam accersivit. [Eugenio IV morienti assistit:] Erat enim Pontificis summi, ut fertur, intentio, majori eum honestare dignitate: fecissetque voto satis, nisi paulo post morbo præventus diem obiisset. In qua ægitudine Antonium semper ægrotanti assistere, & per manus ejus sacrosanctæ Ecclesiæ Sacramenta extremamque Uctionem suscipere voluit. Non minori eum dilectione aut reverentia Nicolaus quintus, qui in Pontificatu successit Eugenio, prosecutus est. Integritatem autem non solum admirabatur, verum & aliis prædicabat.

[18] Constituerat etiam idem summus Pontifex, ut appellationes causarum & judiciorum, quæ a sententia ipsius Archiepiscopi fierent ad Sedem Apostolicam, in Romana curia non admitterentur, Existimabat enim, quod judicasset vir sanctus nulliuscumque judicio infringendum esse. [a quo & privilegiis donatur,] Nil tum ab Apostolica Sede petiisset Antonius, quod non sive pro se sive pro

quovis alio facillime impetrasset. Quin etiam cum in quadam penuria civitatis nostre, [ac pecunia ad sublevandan annonam caritatem.] postulata primo a summo Magistratu acceptaque pecunia publica, famelicam plebem ac pauperes Jesu Christi pavisset Antonius; cum perdurante caritate annonæ suis sumptibus proventibusque Episcopatus, qui exilles admodum sunt, supplere non posset, a Nicolao Papa pro pascenda plebe magnæ pecuniæ subsidium impetravit: neque id semel tantum, sed & sæpius a summo Magistratu consecutus est. [variis Cardinalibus in amore est.] Complectebantur illum pari caritate parique benevolentia Prælati omnes ac Reverendissimi Romanæ Ecclesiæ Cardinales: imprimisque vir magnæ auctoritatis ac virtutis, Dominicus sub titulo sanctæ Crucis Ecclesiæ Romanæ Cardinalis Firmanus, qui de se post obitum magnum integritatis ac sanctitatis nomen posteris dereliquit. Quid dicam de Petro sub titulo S. Marci, qui Eugenii Pontificis nepos fuerat? Quid de Joanne sub titulo sancti Sixti? Quid de eo, qui nuper sub titulo sanctæ Sabinæ Cardinalis effectus est, tum vero Episcopus Spoletanus erat? quo amore ac mutua inter se caritate, maxime ob similia studia, amplectebantur, consulebatque sæpe alter alterum in rebus dubiis? Quid de reliquis Cardinalibus loquar? quibus ita carus erat, ita benevolentia devinctus, ut omnes sancto viro rem gratam facere summo gestirent desiderio.

Neque hoc ex officiosa Antonii ambitione provenerat: nemo enim hominum erat qui minus eo ad gloriam & ad excellentiam dignitatum accenderetur. [in dignitate ad humillima aspirat.] Non pecunia, non laude hominum, non vituperatione, non voluptatibus ullis movebatur Antonius: non habitum Ordinis sui, non animum, non faciem aut vultum in dignitate mutarat: cupiebatque potius, ut sæpius ex ejus ore audivimus, si licuisset ad suam reverti monasticam cellulam, quam ad

altiora transcendere. Memini ego cum quidam ei satis impudenter, brevi eum Cardinalem futurum adulandi gratia dixisset, tum ille: De scrobe, inquit, ac propinqua morte nobis, non de majori gradu ac exaltatione, meditandum. Cumque alio itidem tempore alius eum sanctitatis nomine appellasset: Sancti, inquit Antonius, in Paradiso habitant, nos autem peccatores in terra.

[20] Post obitum vero Nicolai, ad Calistum tertium; qui in Apostolica Sede ei successerat, [legatus Florentinorum nomine Calixtum III adiens,] a summo Magistratu nostræ civitatis legati Romam missi sunt, inter quos, ut legationi adderetur auctoritas, Antonius primo loco electus. Collegæ autem ejus Giannotius Pandulphinus equestris ordinis, Otto Nicolinus Jurisconsultus, Antonius Ridulfus & Joannes Medices. Qui cum Perusio iter facientes Romam magno apparatu pervenissent, statuta die in Consistorio publico ad præsentiam Pontificis admissi sunt. Quo in loco, qui & personarum auctoritate & magna hominum etiam doctissimorum frequentia celeberrimus erat, [gravissime apud illum perorat:] talis fuit ad summum Pontificem oratio Antonii, tanta verborum ac sententiarum venustate, tantaque gestus ac vultus gravitate vocisque sonoritate prolata; ut stupentibus omnibus, non jam Theologus aut Orator, sed missus e cælo Angelus prolocutus esse videretur. Tangebatur in ea oratione abstrusa mysteria, sententiasque gravissimas adiecerat: quæ omnia nunc enumerare, cum adhuc ipsa extat oratio, superfluum judico.

[21] Qua ex re id factum est, ut cum Antonius magnum antea civitatis nostræ nomen majori tum gloria majorique auctoritate illustrasset; ad successorem Calisti Pium Secundum Romanum Pontificem, [eodem munere apud Pium II functus,] eodem legationis officio fungi summo itidem volente Magistratu cogere. Nec fuit ea legatio priore deterior, aut apparatus aut personarum dignitate,

in qua etiam elegans ac gloriosa fuit oratio Antonii. Fuerunt autem collegæ Antonii in hac secunda legatione Angelus Acciajolus Equestris Ordinis, Loysius Guicciardinus, Petrus Pazius, Guilielmus Rucellarius, Petrus Franciscus Medices. Qua vero benevolentia ac dilectione Pius Papa ex tam parva, quam in illa legatione cum eo habuerat, consuetudine Antonium complexus fuerit, quamque de ejus sanctitate opinionem conceperit, indicavit postea in obitu ejus decretum ejusdem summi Pontificis, [ab eo ad reformandam Romanam curiam designatur.] quam rem paulo post serius enarrabo. Illud sane ad maximam Antonii laudem cecidisse videtur, quod cum Pius Papa in ipsa prima assumptione suam vellet Curiam Romanam, in quibusdam minus decenter minusque honeste usitatis, reformari; & ad id curandum aliquos ex gravioribus Cardinalibus constituisset, quos Reformatores Curia appellavit; Antonium quoque illis socium, tamquam optimum ac prudentissimum virum, adiecit. Sed ea reformatio majori urgente necessitate tunc intermissa, & in aliud majoris quietis tempus dilata est.

[22] Cum etiam Fredericus Imperator, qui Romam ad coronam Imperii capiendam profectus est, [similem legationem apud Fredericum Imperatorem obiturus excusat] ad Italiam adventare diceretur; elegit summus Magistratus nostræ civitatis Antonium legatum, qui Imperatori obviam fieret: sed Antonius, jam senio atque imbecillitate confractus, id honoris ad alium deferri maluit. Hæc dico, ut intelligamus qualis erat de prudentia Antonii deque ejus facundia opinio. Neque profecto falsa: nam ut cetera omittam, in quibus eloquentia Antonii demonstrata est, illud sane silentio prætexendum esse non censeo, quod, cum ex legatione quam ad Calistum habuit in patriam cum collegis reversus esset Antonius; cumque ad summum Magistratum, ut de more est, functæ legationis rationem redditurus accessisset (totum enim

legationis pondus ei incubuerat) talis, tam longa, tam dilucida, tamque recenti memoria fuit eorum quæ gesserant in legatione copiosa enarratio, ut a divino potius quodam quam ab humano ingenio oratio illa habita esse videretur. Eoque id magis animadverti, quo omnes qui tum aderant plurima admiratione maximoque stupore percussos esse consexi. In utraque enim legatione sancto viro comes fui, & secretarii officio functus.

[23] Neque vero usquam, etiam in rebus magnis, deerat Antonio animi magnitudo. [Senatum Florentinum libere redarguens,] Quod tum maxime patuit, cum etiam Magistratum summum nonnullis in rebus coram redarguere ausus est. Idque potissimum fecit eo tempore, quo Franciscus Patavinus, qui nunc est Ferrariensis Episcopus, tum vero Eugenii Thesaurarius, huc missus, ab ipso summo Magistratu, pro vindicandis redimendisque nonnullis nostrorum civium, qui Romæ detenti erant, velut obses captus est. Erat tum forte extra civitatem visitationis causa Antonius: qui cum hanc rem accepisset, magna ad urbem festinatione properavit, summumque statim Magistratum adiit, magnaque detestatione, quod per illos factum erat, redarguit. Clamabat tum summo Magistratui Antonius, Non licet, quavis de causa, viro ecclesiastico violentiam afferri. [immunitatem ecclesiasticorum tuetur:] Quod nisi ab incepto destitissent, gravissimam in eos excommunicationis sententiam publicasset.

[24] In principio quoque sui Pontificatus non minore laude dignum operatus est facinus. Cum enim quadam die visitandarum ecclesiarum gratia civitatem perambulare, [noxios ludos tollis,] ventum est ad quemdam locum ubi cives multi publice ad talorum alearumque ludum convenerant. Quod cum vidisset vir sanctus, illuc accedens, præcedente Cruce, summa cum detestatione

omnia ludi instrumenta subvertit. Cum vero subsequenter annis subito in civitate nostra ludus novus, per quem sortes fiebant, exortus esset; in quo non tantum nostra, verum & Romana civitas infecta erat, adeoque deperdita, ut omnis pene populus, relicto artium exercitio, illuc ad perdendam pecuniam privatamque substantiam se converteret; tanta fuit Pastoris industria, ut sicut repente advenerat ludus detestabilis, [eoque acquisitam pecuniam in pauperes erogat:] ita repente penitus extinctus esse videretur: quod etiam Romæ postea summus Pontifex ad imitationem Antonii tolli jussit. Ex qua re unum id bonum consecutum est, quod cum quidam in nostra civitate Sacerdos ex illis sortibus aureos mille lucratus esset, interceptit eam pecuniam Antonius, ac pauperibus erogavit: erat enim tunc quoque plebs famelica in nostra civitate. Quid vero in hac extrema positus ægritudine, in qua etiam decessit? quibus verbis, quo animo ecclesiasticam immunitatem tutabatur? [senatui censuras minatur.] Cum enim per publicos Magistratus lata lex esset, in qua contra Canones Clericorum patrimonia tangebantur; audebat dicere, se etiam in summum Magistratum, nisi ea lex abrogata fuisset, excommunicationis sententiam, quin & si opus esset, in universam civitatem se interdictum ecclesiasticum immissurum.

ANNOTATA.

Obiit Eugenius IV anno 1447 23 Februarii Romæ, cui succedens Nicolaus V (ut habetur in Vita 2 num. 14) multis precibus Antoninum in Romana Curia retinere conatus est: ille autem Ecclesiæ suæ Florentinæ adesse cupiens, cum bona tandem Nicolai gratia rediit ad sponsam suam. End Notec Colitur S. Bernardinus 20 Maji, canonizatus anno 1430.

Huc spectat quod in Vita 3 refertur his verbis: Octoviri (is Magistratus Florentiæ, quamquam non supremus, vitæ & necis imperium habet) duos forte Sacerdotes, in crimine deprehensos, ac noctu a satellitibus captos, cum diluxisset, ad Episcopium clangentibus tubis deduci ad Præsulem imperarunt; satis esse pœnarum sumptum rati, quod eos public ignominia affecissent: si quid acrius essent commeriti, esse ab Episcopo castigandos. Antoninus mirum quam moleste tulerit: dimissis vero Sacerdotibus, quos tunc puniri non esse commodum putavit, statim ad publicas supremi Magistratus ædes proficiscitur (est namque ubi Octo-viri quoq; sua judicia exercent) cumque ubi assederant, igne quodam justitiæ percitus, ad eos irrupisset; temeritatis gravissimæ coarguit: tum esse illos anathemate illaqueatos, seque nexibus quibus se irretissent non expediturum [pronuntiavit]: irent Romam, summum Pontificem adirent, ad eum esse rem totam devolutam: discerent imposterum aut nullo pacto, aut certe consideratius alienas causas tractare. Erant Octo-viri, quamquam lapsi fuerant, non tamen ingenio perditio & complorato. Ubi Antistitis constantiam cognoverunt, conscientia ducti, supplices litteras, quibus expediri se petebant, ad Pontificem dedere. Qui cum se totum relaturos ex Curia putarent, ecce Pontificiis litteris jubentur, uti Antonium convenirent, ac ultro supplices fassi culpam, pro canonum institutis anathemate solverentur. Antistes, quoniam publice peccaverant, zona collo indita ad fores templi jussit procedere: atque ibi, spectante populo converberatos terga, vinculo excommunicationis liberavit. Ea re vix dici potest quantum omni sexui, omni ordini terrorem, præfuit magnitudine, incusserit.

CAPUT IV.

Aliæ virtutes S. Antonii, libri conscripti.

[25] Sic merito eum, ut summæ virtutis virum, verebantur omnes; colebant ut Patrem, ut sanctissimum virum adorabant. Neque id immerito: erat enim universorum civium patronus quidam ac pater patriæ, [Facultates egenorum necessitatibus impendit,] qui omnibus prodesset, neminem læderet, omnemque substantiam suam pauperibus erogaret. Neque id parce, aut minutim: centum enim aureos in festis Paschalibus in pios usus & necessitates pauperum distribuere consueverat, præter quotidianas eleemosynas. Nihil sibi reservabat, nihil post se in morte, nisi necessariam eamque [& readificandis domibus terramotu prostratis.] parvam ac tenuem suppellectilem dereliquit. Ædificandi quoque curam aut sollicitudinem numquam habuit: Hoc successoribus, aiebat, meis faciendum relinquam. Verumtamen cum non parvis terræ motibus universa esset Florentina civitas conquassata, in restaurationem domorum, itidemque in aliis condendis novis ædificiis, ita postulante necessitate [multum] consumpsit.

[26] Et quoniam terræ motuum mentionem fecimus, adjiciendum est illud portentum, [quem subsecuta ingens tempestas magnam stragem edit,] quod apud Castellum S. Cassiani, quod a nostra civitate octo millibus passuum distat, biennio post terræmotus illos contigisse conspeximus. Nam in vigilia S. Bartholomæi Apostoli, summo mane, in ipso crepusculo, talis tamque vehemens fuit aeris perturbatio, tanta ventorum procella, ut nullæ nedum arbores aut virgulta, sed nec ædificia quidem stare possent. Evulsæ sunt radicitus quercus ingentissimeæ aliæ truncatæ, pinus quoque grossissimeæ per medium fractæ ac distractæ sunt, vastatique sunt agri arboribus. Sed neque domus ullæ tantam tempestatem perferre potuerunt: omnium tecta eversa ac dispersa, nonnulla etiam integra sublata, & longo spatio de loco ad locum translata sunt: pleraque ædificia penitus ad terram prostrata: occisi etiam multi promiscui

sexus viri ac mulieres, ac ruinis oppressi. De pecoribus nihil loquor, cum in ea procella illud sane poeticum dici posset.

Cum stabulis armenta trahit ---

Facta est igitur tum magna arborum, domorum; atque hominum strages: illudque profecto multa admiratione in ea ventorum perturbatione dignum est, [intacto tabernaculo in everso templo.] quod cum quædam ecclesia magnam ex ea procella ruinam fecisset, corruentibus aliis undique muris ac parietibus, solum tabernaculum corporis Domini intactum ibidem illæsumque permansit, magnum sane nostræ fidei argumentum. Fuit autem ea rerum perturbatio ex veritorum commotione, sine aqua primo; mox subsequuta est ingens pluvia, nihilque in eo turbine salubrius fuit, quam brevitatis temporis: nam octavo fere horæ spatio perduravit. Breve etiam terrarum spatium per latitudinem occupavit, non enim integros mille passus complexa est: per longitudinem vero magis magisque ad quinquaginta millia passuum plusve protracta est; & a Tyrrheno, ut fertur, mari elevata, per Vulterrimum agrum ac Florentinum, ad Fesulanum usque pervenit. Res sane magni portenti, ac nostris temporibus inaudita.

[27] Erat vero Antonius (ut jam ad illum redeamus) ut in aliis accuratus, [sui negligens] ita sui commodi aut cultus corporis negligentissimus, adeo ut post menses multos ad commutandas, plenas sordibus ac pediculis, tunicellas & caligas vix compelli posset. Quin etiam id, quod ab uno ex ejus Fratibus admodum illi familiarissimo accepi, non tacebo. Sunt enim quæ nunc a me scribuntur de Antonio, viris gravibus & his qui jam solido, ut ait Apostolus, utuntur cibo, maximæ ædificationis causa ac magnæ sanctitatis exemplar: quid vero filii hujus seculi de hisce rebus sentiant parvi facimus. [Heb. 5, 14.] Ajebat autem

Frater ille, Antonium quadam vice cum cibum sumeret petiisse, ut fit, vinum sibi misceri. Cumque Frater ille cyathum, [ex vase urinario bibere non abhorret:] in quo paulo ante vrina fuerat, abluere & mundum reddere festinaret; Sic misceto, inquit Antonius, nam lotum illotumque esse nil refert. In quo S. Francisco simile quid fecisse apparet, qui cinerem ferculo immiscuisse dicitur, ne vitio gulæ tangeretur.

[28] Ut vero sui aut voluptatis negligentissimus, ita erat æqui justique diligentissimus observator. Ab eo quod semel bonum rectumque esse noverat, nullis multorum magnorumque civium precibus flectebatur. [multas a patria calamitates arcuisse creditus:] Sic tandem cives omnes illum admodum verebantur & amabant plurimum. Quin hæc fuerunt Cosmi multa cum sapientia verba prolata, qui ut opibus ita & prudentia ceteros civium anteire discebatur: Magnæ, aiebat, fuerunt hac tempestate nostræ civitatis calamitates, majora pericula locorum, pestis, inediæ, terræmotuum, in primisque occultarum seditio: quæ omnia, meo iudicio, nostram evertissent civitatem, nisi Pontificis nostri merita orationesque restituissent. O, præclara ac sapienti viro digna sententia! Is etiam, ut nuper in successore Antonii, sic prius in ipsa Antonii promotione, sua suorumque postponens commoda, utilitati publicæ consulendum putavit. Illud sane non est prætermittendum, quod ad perfectam Antonii gloriam pertinere videatur: Nihil enim deest, ut Propheta ait, timentibus Deum. [Ps. 22, 1.] Si enim Antonio tabulis testamentoque dignitatem suam cuiquam legare licuisset, neminem ei qui sibi in Pontificatu successit præponendum indicasset: eum enim rectum doctumque virum existimabat, cujus etiam iudicio in dubiis variisque sententiis sæpius utebatur. Sed de hoc alias. Nunc ad Antonium redeamus. Qui cum jam septuagesimum ætatis annum attigisset (tredecim enim, [agrotans mortem prædicit:] ut diximus, annis

Pontificatum gessit, ad quem, cum quinquagesimum septimum ageret annum, assumptus est) feбри quadam lenta correptus, quam phlegmaticam plures Physici appellant, non vehementi sed longa ægritudine laboravit. Cumque cœpisset morbus ingravescere, vehementiorque eum febris vexaret; accessi ego ad lectum, in quo jacebat; conabarque, ut fit ægrotis, ipsum amantissimum Patrem consolari, simulque bonam spem & convalescentiam pollicebar. Ad quod vir sanctus: Fiat, inquit, voluntas Dei. Et paulo post subjunxit Prophetæ verba, quæ scribuntur in Psalmo: Dies, inquit, annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: quasi prævidisset vitæ suæ terminum, [ante quam non multo tempore summam suam perficit:] cum ad eam jam ætatem, ut paulo superius diximus, pervenisset. [Ps. 30, 10] Imposuerat etiam non multo antea extremam manum ingenti libro magnoque volumini, quam Summam appellavit. Quam longo tempore, magno labore, multoque artificio conscriptam (ut paulo post docebo) non ad meatus siderum naturæque occultas vires demonstrandas, sed ad dandam edocendamque salutis scientiam ediderat: quæ in edocendo timore Domini, cum perceptione mandatorum ejus ac operis consummatione, posita est. In quo libro quidquid ad considerationem speculationemque sacratissimæ theoriæ, quidquid ad nobilissimarum virtutum acquisitionem, quidquid denique ad beate beneque vivendi usum pertinere videatur dilucide sapienterque [ejus laus] conscriptum est. Nihil ibi prætermissum, nil obscure, nil concise mutilateque dictum; eaque de causa magno eum volumine necessario conclusit. Non enim de universalibus tantum rebus scripsit: verum etiam ad particularia quæque descendens, ad hunc nostrum vivendi usum & ad singularem quamdam humanæ vitæ operationem, doctrinam accommodavit.

CAP. XI.

[30] Quam etiam quinque partitam esse voluit. Et in prima parte de anima ingenere, deque ejus nobilitate ac de immortalitate animæ disputavit, [& divisio in partes,] de infusione ejus in corpore, de ejus potentiis quæ extrinsecus sunt, de intellectu ac voluntate, de passionibus animæ, item de causis peccati, de peccato ac nocumento ejus, item de septemplici genere legum, cujus principium est: Quam magnificata sunt opera tua Domine, &: Vade ad formicam o piger. In secunda parte; de septem vitiis in specie, & de eorum ramis, imprimisque de superbia eorum capite: & in primo titulo tractavit de simonia & usuris diffuse, in secundo de restitutionibus, item de juramento ac perjurio, item de voto ac transgressione voti, postremo de infidelitate ejusque generibus; quæ incipit, Tu contribulasti capita draconum in aquis, tu confregisti capita draconis. In tertio de officiis cujusque hominis, cujusque conditionis, de omni arte atque usu vivendi, utilissimum sane opus: quod etiam de statibus hominum appellavit. In quo etiam de censuris, de excommunicatione scilicet, suspensione & interdicto atque irregularitate copiose pertractavit: item de septem Ecclesiæ sacramentis: quæ incipit: Adstitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, In quarta vero parte de septem virtutibus, quatuor cardinalibus tribusque theologis; de gratia Spiritus sancti in genere, de septem donis: & in dono pietatis adjecit quadraginta sex sermones de Beata Virgine Maria: incipit: Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. In quinta vero historiam a principio orbis conditi usque ad tempora sua complexus est: quæ incipit: Loquar propositiones ab initio.

[31] Alios itidem breves libellos quosdam Latinos, nonnullos Hetrusco sermone conscripsit, ut Sacerdotibus

minus doctis aliisque idiotis personis consuleret: in quibus, [alii libri ab eo conscripti] omissis argumentorum discepcionibus, nudas conclusiones brevitatis causa conscripsit. In illo vero magno opere, quam quinquepartitam Summam esse diximus, nihil omnino dixit, quod non multis rationibus, maximisque argumentis, omniumque etiam approbatissimorum Doctorum Augustini, Hieronymi, Gregorii, Ambrosii, Thomæ, aliorumque testimoniis atque auctoritate confirmatum protulerit; adeo ut nemo umquam in tanto opere quidquam minus recte, minus elimite aut imprudenter prolatum redarguere potuerit. In qua re illud sane multa admiratione dignum est, eum hominem, qui prius in Ordine suo, in continua ac maxima suorum administratione; [inter gravissima per totam vitam negotia,] deinde in Pontificatu, in maximis negotiorum ac rerum agendarum perturbationibus constitutus fuerit; potuisse tot librorum volumina, tam variis materiis conscripta, tot Doctorum ac sacrorum Canonum testimoniis & auctoritate firmata conscribere.

ANNOTATA.

Vita 2 num. 6 minutius adnumerat titulos singulos: fuit autem Summa Doctrinalis hactenus explicata, Argentinae anno 1496 tribus tomis impressa per Ioannem Gruninger cum amplissimo Repertorio. Quæ sequitur pars sub titulo Summæ historialis, habetur uno grandi tomo impressa primum Norimbergæ an. 1484 per Iacobum Koberger, deinde Lugduni an. 1527 per Iacobum Myt.

Numerantur in Bibliotheca Gesneri.

Opus de eruditione Confessorum, impressum Memmingæ anno 1483, Capita sunt 49.

Tractatus de Censuris ecclesiasticis, de sponsalibus & matrimoniis, impressi olim Lugduni.

Summa casuum conscientiae lib. 4, quam hic praecipue designari intelligo; una cum sequenti opere, Summa Confessionis, quae tres libros complectitur, quorum primus subdividitur in tres partes, secundus dicitur Interrogatorium, tertius est de Restitutionibus. Venetiis impressa in 16 anno 1572.

Sermones de tempore liber I.

Sermones de Sanctis liber I.

Catologus scriptorum Florentinorum nihil proponit ut vulgari lingua scriptum ab Antonino, quia tale forsitan nihil amplius superest; eorum autem, quae hactenus enumerata etiam ibi adnotantur, omnium archetypa in bibliotheca S. Marci asservari ait; iisque praeponebat, alibi non nominatum, Dialogum in historiam duorum discipulorum euntium in Emaus, in qua ad invicem de Christo in habitu viatoris omnia vaticinia, oracula, atque praesagia declarantur, quae de vita, morte & resurrectione Christi in veteri Testamento scripta sunt.

CAPUT V.

Pia mors S. Antonii, exequiae miracula.

CAP. XII

[32] Cum igitur Antonius, ut paulo superius diximus, jam libros suos; pro suo desiderio, ad communem hominum utilitatem exactos reddidisset; cum jam Clerum civesque suos ex mala vitiorum consuetudine, [Extremis munitus,] ad recte vivendi normam maxima ex parte revocasset; cum denique de se omnibus mortalibus optimum sanctissimae vitae exemplum praebuisset; placuit Altissimo

corona debita tantorum laborum hominem non frustrari. In ea igitur, de qua nunc dicimus, positus ægritudine, curavit primo omnia Ecclesiæ, quod omnibus mandatur fidelibus, sacramenta suscipere. Cumque in die Apostolorum Philippi & Jacobi, ante crepusculum, extremam Vnctionem simulque [& Officium at Psalmos cum adstantibus recitans,] plenariam Indulgentiam, adstantibus Fratribus suis, qui sanctum virum in ea ægritudine assidue ac frequentes magna cum caritate observarunt, suscepisset; cumque illi circumfusi lecto matutinum Officium decantarent, pervenissentque ad laudes; tum vir sanctus, in ipsa jam mortis anxietate positus, magno conatu in fervore spiritus initium aliis faciens dixit: Deus in adiutorium meum intende. Quod immense pietatis signum magna fuit gemituum omnibus adstantibus ac lacrymarum reintegratio. Cum vero quasi ad ipsum vitæ terminum devenisset, nec jam ulla nisi pauca admodum atque ea semiintegra verba proferret, hoc sæpius ex ore ejus verbum auscultantibus audiebatur, Servire Deo regnare est; quasi jam laboris sui præmium paratamque ante oculos mercedem intueretur. Aliud hoc item verbum sæpius proferebat: [spe æternæ retributionis plenus,] Sancta & immaculata viginitas, quibus te laudibus efferam nescio. Cumque Fratres, qui totum jam Psalterium legerant, eosdem Psalmos reiterarent; pervenissentque ad eum versum Psalmi quadragesimi quarti, qui dicit, Oculi mei semper ad dominum ipse elevatis tum oculis erectisque ad cælum manibus, eundem versum replicavit; Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos; simulque ex continuo labiorum motu, & ex nonnullis perceptis ex ore ejus verbis, intelligebatur, illum in continua tacitaque Psalmodia detineri, maximeque eum Psalmum sæpius iterare videbatur, qui in ultimis matutinis laudibus decantatur, Laudate Dominum de cælis, & reliqua: quo etiam in vita, ut sui Fratres asserunt, delectari plurimum consueverat. Nonnunquam etiam

porrectam a Fratribus brevem Domini Crucifixi imaginem complexus, [& Crucifixum exosculans, pientissime moritur,] tanto dilectionis deosculabatur affectu, ut astantes omnes nullo pacto lacrymas continere valeremus. Sequenti igitur die, post festum Apostoloru, hoc est secunda Maji, & in vigilia Astensionis Domini, post longam anxietatem, spiritus ille sanctissimus, solutis corporis vinculis, ad æthereas sedes evolavit.

CAP. XIII

[33] Quod magnis signis verissimisque argumentis ita fuisse comprobatur: ex quibus non omnia nunc recensenda, [Demortui anima ad cælum migrare conspicitur.] sed quædam in laudem tantarum virtutum prætermittenda non sunt. Illudque in primis, quod verissima ipsorum Fratrum narratione percepimus. Fertur enim quidam ejusdem Ordinis Frater, Constantius nomine, vir magnæ sanctitatis, cum esset in civitate Asculana & vigilans oraret in Ecclesia, vidisse manifeste Antonium, eadem ipsa hora qua ex hac vita migravit, gloriosum ad cælestem patriam evolasse. Utque illud ita esse majori confirmaretur argumento, vidit eadem hora alium Fratrem, qui etiam in alia civitate tunc obierat, non jam ad cælum, sed ad purgatorias sedes descendere. Quod cum ille aliquamdiu reticens, ex lætitia insueta vultusque hilaritate, dissimulare non posset; pulsatus precibus diu a Fratribus, tandem id quod vidisset magno cum gaudio enarravit, & de morte utrorumque, post aliquos dies id ita esse certa rei experientia compertum est. [Contracta sanatur ad contactum corporis:] In ipso quoque exequiarum die, dum corpus in Ecclesia S. Marci positum esset, accessit mulier quæ altero latere debilitato ac stupido diu manca fuerat; tactoque sancto corpore, antequam ecclesia recederet, integritatem virium cepit.

CAP. XIV

[34] Sed antequam ad reliqua quæ volumus signa narrare accedamus, dicendum est, quali eum honore in ipso funere Pius Romanus Pontifex honestare ac gloriosum reddere voluerit, qui tum forte in civitate Florentina aderat, [quod splendidis exequiis a Pio II cohonestatum] & ad celebrandum id Concilium quod Diætam appellavit, Mantuam properavit. Primum igitur omnium, statim post obitum Antonii, funus ipsum diligenter ac magnifice curari, pro viri ac civitatis dignitate, mandavit; quampluresque Episcopos aliosque Prælatos ad funus deducendum accedere, & omnem Archiepiscopi defuncti familiam longis pullisque vestibibus indui, ad quod etiam bona pars civium magneque auctoritatis viri honestandum accesserunt. Reverendissimus quoque Cardinalis S. Marci, de quo superius mentionem fecimus, tum amicitia tum pietate commotus, in ipsa Cathedrali Ecclesia officio exequiarum adesse voluit. Primum igitur ad ecclesiam majorem deductum, [& ad cænobium Prædicatorum delatum,] unde rite officio celebrato ad ecclesiam S. Marci & Conventum Prædicatorum vesperi, magna populi subsequente multitudine, corpus translatum: sic enim ipse testamento legaverat, ut juxta Fratres suos humi conderetur. Videres tum universam commotam civitatem, a majoribus usque ad minores; & tam mares quam feminas, ad sancti viri manus pedesque deosculandos accedere; hinc gemitus, inde suspiria; a multis lacrymæ, a nonnullis querulæ voces edebantur. Neque hoc tantum ipsa civitas fecit vicique in suburbiis positi; verum ex montibus undique descendentes, ac de remotis regionibus innumerabilis populus accedebat. Addidierat etiam summus Pontifex, [concessis venerantibus illud indulgentiis,] maximum ejus viri sanctitati testimonium, ut quicumque ad sanctum corpus benedictasque manus deosculandas accessisset, septem annos septemque quadragenas indulgentiæ ac culparum remissionis

consequeretur. Factumque est ex nova semper supervenientis populi atque advenarum multitudine, ut sanctum corpus in ipsa ecclesia aliquot dies videndum omnibus deosculandumque necessario poneretur, [toto octiduo nil graveolens proflat.] nec nisi octava die post ejus obitum sepulcro condi posset. Illudque sane multa admiratione dignum est, tanto tempore reservatum corpus exanime nullum tetrum odorem edidisse: quin potius mirabili semper fragrantia redolebat, videbaturque omnium judicio venustior lætiorque in mortuo facies quam fuerat in vivo. Insuper manus pedesque, nullo rigore contracti, nulloque maculati livore cernebantur: quod certe omnibus id cernentibus magnum sanctitatis signum esse ducebatur.

CAP. XIV, CAP. XV

[35] Ad signa vero, quæ hactenus post ejus obitum visa sunt, non omnia tamen, enarranda accedamus. Sed ut paulo ante dixeramus, non sunt etiam omnia pretermittenda: ne eam partem, quæ multis fortasse in eo nobilissima esse videatur, intactam relinquamus; utque etiam piis mentibus aliqua ex parte satisfactum esse videatur. [Quidam vobis facto a periculosa febre liberatur,] Pauca igitur ex illis certissima perstringemus; simulque cum singulis diebus nova semper addi videantur, aliis hoc munus copiosius absolvendum relinquemus. Narravit mihi nuper vir quidam, Leonardus Antonii civis Reatinus, non ex infima plebe, se hujus sancti viri meritis non tantum bonam valetudinem, verum etiam incolumitatem ac vitam consecutum. Nam cum ad balneas Porrectæ profectus, in gravissimam febrem incidisset, adeo ut jam de sua salute diffideret; recordatus sanctitatis Antonii Pontificis, [alius ab instanti morte ex gravi lapsu,] facto voto statim convaluit. Filiolum quoque suum, qui de alto loco ad terram ceciderat, cum medici jam de ejus morte patri meditandum præciperent; magna cum fiducia pater

sancto viro Antonio natum unicum toto mentis affectu commendavit, & paulo post filium se habere incolumem intellexit. Hæc mihi Leonardus ipse longiore narratione cum lacrymis recensebat. In cujus rei testimonium ad sepulcrum Antonii, magnam sui, ac filioli parvam imaginem apposuerat.

CAP. XVI, CAP. XVII, CAP. XVIII

[36] Accepimus etiam a fide dignis, mulierem quandam, hinc civem ac nobilem, cum in pariendo diutius laborasset, nec difficultati partus ullum remedium invenire posset; suppositis alligatisque ejus ventri paucis admodum pilis, qui ex barba Antonii jam mortui abrasi conservatique fuerant, illico partus facilitatem ac perfectionem consecutam. [Cardinalis S. Sixti a morbo,] Reverendissimus vero Cardinalis S. Sixti, vir magnæ scientiæ atque auctoritatis, cum ætate simul ac morbo confectus, Senis ad civitatem Florentinam accederet, nuntiatumque ei esset obitus Antonii; oculis simul ac mente ad cælum erectis, a sancto viro magnum sensibiliter ægritudinis suæ ac corporis passionum levamen impetravit. Cumque postea civitatem intrasset, ad sepulcrum Antonii supplex cum lacrymis in testimonium tantæ sanctitatis accessit, ibique lampadem gloriosam accendi voluit. Quid Luisius, qui fuerat Antonii domesticus? nonne patrem suum Jacobum, qui ob infirmitatem ex amentia noctu domum exire & solus in tenebris civitatem circumire consueverat, [quidam a diuturna amentia] nec ab hoc morbo ulla medicorum cura biennio sanari poterat; cum pro eo filius sancto viro votum fecisset, incolumem ac sanum parentem recepit? quod mihi postea ipse Luisius proprio ore recensuit.

CAP. XIX

[37] Alius item adolescens, Nicolaus Sacchetus nomine, civis noster, cum gravissimo apoplexiæ morbo correptus esset, [alius ab apoplexia,] cumque de ejus vita penitus medici diffiderent, eo quod ultra viginti & quatuor horas insensibilis perduraret; contigit ut duo ex Fratibus Prædicatoribus, qui ad visitandum infirmum accesserant, cum illum pene mortuum esse conspexissent, reversi domum, positis genibus ad sepulcrum Antonii, orarevrunt pro illo. Qui statim sequenti die, stupentibus omnibus, conualescere cœpit; sicque non multo post incolumitati est restitutus. Possem alia multa signa hujusmodi enarrare, que prætermittenda censeo: pluris enim facienda judicamus quæ in ejus vita ac moribus vidimus, quæque ex ejus doctrina ac sapientia bona nascuntur, quæ superius enarravimus, quam ipsa miracula.

CAP. XX, CAP. XXI

[38] Quin etiam antequam ex hac vita decederet Antonius, non caruit ejus vita miraculis. Cum enim aliquot annis ante obitum, pro officio Pastoralis Suffraganei sui Episcopi Pistoriensis Diœcesim visitaret (est enim Florentina civitas urbis Pistorii Fesularumque metropolis) cumque ipsas quoque Alpes visitando circumiret, [Ferri fluxum ex fornace propter blasphemias, inhibitum,] pervenit ad officinam quamdam ferri fundendi. Cumque ipse una cum suis comitibus, videndæ novæ fabricæ desiderio, officinam intrasset; fertur quidam ex iis qui fabрили operi intenti erant, calore ignis ac labore fatigatus, cum eos intrantes officinam conspiceret, idque moleste ferret, cœpisse perturbati animi verba ac blasphemias proferre. Mirum est profecto quod fertur. Cœpit statim ferrum congelari, adeo ut nullo igne, nullo labore, nullaque arte fundi posset, sicque tota illa nocte perduravit. Sequenti mane officinæ magnister, [benedictione sua restituit:] sancto ut videtur spiritu afflatus, ad Antonium accedit; eumque summis precibus

exorat, ut ad officinam accedens, super illam signum Crucis ejusque benedictionem infunderet. Quod cum fecisset Antonius, motus viri precibus, ferrum, quod prius durissimum fuerat, statim fundi cœpit. Hoc mihi ii qui cum ipso Præsule præsentes fuerant, mox ut in patriam reversus est, magna cum gratulatione retulerunt. In alia item visitatione suæ Diœcesis, ejus scilicet partis, quæ est Bononiam versus, quæ Mugellus nuncupatur; cum pervenisset ad quamdam plebem, nuntiatumque esset ei Plebanum loci graviter ægrotare, accessit vir sanctus ad lectum ægroti. [ægrotō valetudinē,] Cumque super eo quoddam Evangelium certasque orationes perlegisset, paulo post Sacerdos, qui prius de salute sua parum sperabat, cœpit integerrime valetudinis vires assumere. In qua re non dubitabant omnes qui adstiteant, id Antonii orationibus impetratum fuisse.

CAP. XXII

[39] Illud sane mihi profiteri licet quod in nostra familia experimento didici. Cum enim alio item tempore ecclesias rurales visitaret Antonius, [sterili fœcunditatem impertit,] & me alioque propinquo meo impetrante ad villam nostram Castilionensem divertisset, ibique pernoctasset; cum sequenti luce discessum pararet, cœpi apud illum calamitatem nostram deplorare, ex eo quod cum tres essemus in familia nostra, ex quibus unus solummodo Danthes nomine uxorem eamque multis annis sterilem haberet, brevi de extinctione antiquæ familiæ dubitari facile poterat; simulque benedictionem domui nostræ, in auxilium suscipiendæ prolis, ab eo dari petii atque impetravi. Factum est non multo post ut ea quæ multos annos apud virum suum sterilis fuerat, ipso adhuc vivente Archiepiscopo, primo feminam, reliquos mares omnes, eosque venustos cœperit filios procreare, continueque in suscipienda nova prole hactenus perseverat. In qua re ego benedictionem sancti viri

tantum valuisse non dubito, ut desiderii nostri compotes efficeremur. Hæc de signis, quæ partim in vita partim post obitum ejus visa sunt, cum multa alia ac pene infinita recenseri possint, pro tempore dicta sufficiant.

EPILOGUS.

[30] Non possum autem hujus tanti viri mortem atque absentiam non summo mœrore summoque desiderio prosequi. Dicitur S. Ambrosius, cum ei obitus cujusdam optimi ac præstantissimi viri nuntiatus esset, multis lacrymis faciem irrigare cœpisse. [Obitus S. Antonii omnibus luctuosus] Cumque ille qui id nuntiaverat admiraretur, homine gravissimum in tantam ut ita dixerim animi mollitiem flecti, ac causam tanti fletus perquireret, Non est, inquit Ambrosius, deflenda tanti viri carentia, qualem vix multa tempora producere conlueverunt? Merito igitur ejus obitum defleverunt omnes boni omnesque viri religiosi, qui frequentes ad eum accedentes consulebant hominem in rebus dubiis, quibus, tamquam oraculum quoddam totius Italiæ, certissimas irreprobabilesque veritatis sententias proferebat. Defleverunt eum non immerito pauperes Jesu Christi, quibus patronus alter ac tamquam pius pater extiterat. Tota denique civitas, velut publico luctu, sanctum virum pioque desiderio prosecuta est: inprimisque optimi cives atque optimates, qui illum tamquam sanctum virum non solum venerabantur atque colebant, verum etiam verebantur, maximam se in ejus morte fecisse jacturam profitentur: tanta erat apud illos auctoritas sancti viri. Illudque sane inauditum ac multa admiratione dignum est, quod, dum ejus funus ad ecclesiam S. Marci deferretur, animadvertentibus cernebatur, ut enim dum viveret concurrebant universi viri ac mulieres ad locum, qua illum transeuntem intelligebant, submissique in terram ac proni sanctum Præsulem adorare consueverant; sic exanimi tum corpori ac feretro inclinati

positisque in terram genibus, non curantes etiam pluviam, quæ tunc forte ingruebat, omnes, non tantum cives, verum & advenæ, qui tum multi in nostram civitatem propter præsentiam summi Pontificis advenerant, [quo ad sepulturam alato omnes veluti ad benedictione prosternunt.] tamquam consuetam ab eo benedictionem accepturi, consuetam adorationem, licet mortuo, humiliter ac devote præstabant, magnum de sua erga eum fide ac reverentia testimonium reddentes, majorem de tali jactura luctum ostendentes. Quis tantum calamitatem Christiano populo inflictam non deploret? Quis tam præclarum justitiæ ac veritatis lumen extinctum non defleat. Vereor ego profecto ne post hac sublato e medio tanto lumine in obscuram tenebrarum caliginem atque in gravissimas temporum rerumque omnium perturbaciones protrahamur: cujus rei jam quædam magnarum calamitatem signa suboriri videntur. Totus fluctat orbis undique, Ecclesiæ vires labefactæ jam pluribus annis magno conatu contra impios hostes atque atrocissimos infideles in cassum hactenus laborarunt: Galli jam nonnullas Italiæ partes occuparunt, & ad majora accinguntur. Suspensi sunt omnium populorum ac Principum animi; magna quædam lunæ solisque eclipses, brevi futuræ, significare; majora his temporibus prophetiæ quædam minari videntur. Quem sit res exitum habitura incertum est, utinam bene vertat! Amen.